



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quod bipartitus sit ordo sacerdotum. iiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

gociorum ad vnam beati principis apostolorum Petri sedem confluere, vt inde suscipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium institutionum, ne quandoque à suo discreparent capite.

*Vt summus sacerdos non vocetur Romanus pontifex, sed primæ sedis Episcopus. Cap. III.*

Ca. Afri  
cano. 6. **V**T primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.

*Quod bipartitus sit ordo sacerdotum. Cap. IIII.*

Ex episto  
la Ana-  
cleti pa-  
pæ missa  
omnibus  
Episcopis  
et reli-  
quis sacer-  
dotibus,  
cap. 18. **S**acerdotum, fratres, ordo, bipartitus est, & sicut dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitur autem apostolos à domino esse electos, & constitutos, & postea per diuersas prouincias ad prædicandum dispersos. Quum verò messis cœpit crescere, videns paucos esse operarios, ad eorū adiumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi verò Apostolorum, presbyteri quoque, septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis, aut in modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella & modicas ciuitates atque villas, debent ab Episcopis ordinari & poni singuli tamè per singulos titulos suos. Amplius quàm isti duo ordines sacerdotum, nec nobis collati sunt, nec apostoli docuerunt.

*Vt non laici, nec bigami, nec viduarum mariti, sed irreprehensibiles ordinentur Episcopi. Cap. V.*

Ex decr.  
Leonis pa-  
pæ, titulo  
33. **I**N ciuitatibus quarum rectores obierint, de substituendis Episcopis hæc forma seruetur, vt is qui ordinandus est, etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, nec neophitus, nec secundæ coniugis sit maritus, aut qui vnam quidem habeat, vel habuerit, & quam sibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est electio, vt quæ in aliis membris Ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

*Vt cum Episcopus eligitur, si contradictores habeat, quinque episcopi conueniant. Cap. VI.*

Ex cõcil.  
Africa-  
no, ca. 17 **S**ED & illud est statuendum, vt quando ad eligendum Episcopum conuenerimus, si qua contradictio fuerit oborta, quia talia facta sunt apud nos, non præsumat ad